

## VI

### PROMISSIO ET COMPROMISSUM

1248 giugno 28-luglio 1, Grosseto

I Grossetani aderenti alla *pars* guidata da Ermanno di Mazzagallo stipulano un compromesso, rimettendo negli arbitri senesi le controversie sorte con altri cittadini di Grosseto membri della *pars* capeggiata da Ildebrandino di Rolando *Pedisvaccie*.

Originale, ASS, *Diplomatico, Riformagioni*, 1248 giugno 27 [c. 84].

Regesti: ASS, Ms B 21, c. 137r; A. LISINI, *R. Archivio di Stato di Siena. Inventario delle pergamene conservate nel Diplomatico dall'anno 736 all'anno 1250*, Siena 1908, p. 358.

In Dei nomine eterni amen. Ad honorem Dei et beate Marie semper virginis et Sanctorum et Sanctorum Dei et ad honorem et augmentum domini nostri serenissimi imperatoris Frederigii, nos dominus Hermannus Maçagalli, Gerardus Bentivegne, Venutus Flor[entinus], Guido Salvi, Bencivenne Negatelli, Bindus Guidi, Gottifredus Angele<sup>1</sup>[...], [...]e Iohannis, Landinus, Gratianus Bentivegne, Iacobinus Ildibrandini Christiani, Benenatus Bentivegne, Tancredus Uguccionis, Diedatus Iohannis Landini, Burnettus Venuti cum consensu dicti mei patris, Iacobinus Valdegraine, Gallus domini Hermanni cum consensu dicti mei patris, Petruccius gener Mantuccii, Borestaurus Bonamichi, Ioseppus Ricolfi, Tiderius calçolarius, Ventura Agnelle, Bonacursus<sup>2</sup> Signoretti, Ardengus Acursi, Rolandus Baralle, Nichola Cambii, Albertinuçcius Baschetti, Michele de Massa, Bernardus Benencase Barilis, Guido Ardenghii, Bonacursus Caroccii, Bonaiutus Citadine, Maffeus Benencase Barilis, Bonacursus Botti, Borestaurus Cicelian[i], Bonacursus Çucheti, Bonacursus Venuti cum consensu mei patris dicti, Plebanellus Petri Salvi, Albertus Iohannis Mosche, Orgese calçolarius, Dietaviva Albertinuçci cum consensu dicti mei patris, Bonaventura Longus, Sansonis Salvi not[arius], Ildibrandinus Salvi et Dietaviva Plebanelli civis Grossetani pro nobis ipsis et omnibus et singulis de parte et pro parte nostra et omnibus auctoribus et fautoribus nostris de Grosseto promittimus et compromictimus in vos dominum Orgensem Maynetti et Bonafidançam Renaldi Ranerii cives Senarum ambasciatores potestatis et communis Senarum recipientes pro potestate et consilio communis Senarum de omnibus litibus et contraversiis que vertuntur vel verti videntur inter nos ex parte una et dominos Ildibrandinum et Albertum Rolandi, Thomasium Gerardi, Alamannum Belotti, Dicevolem Tieçi, Ranuccium Mosbelle, Farinellus fabrum, Ranerium de Aretio, Richobonum barberium, Benensegnam fabrum, Peponem domini Amadoris, Guidonem de Grassa, Bernardinum Bernaccii, Iohachinum, Durellinum, Alexium et Belioctum filios dicti Alamanni, Amedeum Ghichi, Borestaurum porcaiolum, Gualcherinum calçolarium, Ranerium Flor[entinum], Gualfreduccium Guidonis, Lambertuccium Baliesi et Bonfiliolum de Orgia et omnibus aliis de parte et pro parte eorum ex parte altera de iniuriis, offensionibus et maleficiis inter nos et ipsos commissis et factis in rebus et personis dicto vel facto et alio quocumque modo inter nos et ipsos et eorum parte et aliquos nostros et de parte et pro parte nostra, tamquam in arbitros, arbitratores, laudatores, diffinitores et amicos comunes in omni eo quod dicte potestati Senarum cum consilio dicti communis Senarum, toto vel maiori parte consilii predicti communis, pro se vel sindicu[m] seu ambasciatores placuerint inter nos de predictis generaliter et specialiter arbitrari, laudare, diffinire et amicabiliter componere, pronuntiare, precipere et terminare, partibus citatis vel non citatis, partibus presentibus vel absentibus, una presente et altera absente, volentibus vel contradicentibus sive una volente et altera contradicente, die feriato vel non, cum scriptura vel sine scriptura, iuris ordine servato vel non, semel et pluries sedendo vel recto

<sup>1</sup> Segue lacuna.

<sup>2</sup> Segue Agnelle espunto.

stando et alio quocumque modo et hoc omnia et singula per nos et heredes nostros et omnes de parte et pro parte nostra vobis supradictis dominis Orgese et Bonafidança ambasciatoribus potestatis communis Senarum recipientibus pro dicta potestate et consilio dicti communis promittimus et convenimus adtendere et servare et obedire omni laudo, arbitrio, difinitione, precepto et mandato facto vel lato a dicta potestate cum consilio toto vel maiori parte consilii communis Senarum vel a syndico seu ambasciatoribus institutis a dicta potestate cum consilio dicti communis Senarum toto vel maiori parte sub pena mille marcarum boni et puri argenti bene ponderati pro parte nostra et sub pena C marcarum boni et puri argenti pro quolibet homine et persona et auctore et fautore nostro de Grosseto, quam penam vobis supradictis ambasciatoribus recipientibus pro comuni Senarum solvere promittimus si omnia et singula supradicta non observaremus et contra veniremus et pena soluta vel non hec omnia et singula predicta in sua firmitate perduren. Item nos predicti de parte supradicta promittimus et convenimus nostro proprio et privato nomine per nos et heredes nostros vobis supradictis ambasciatoribus predicto modo recipientibus nos facturos et curaturos ita quod omnes illi homines et persone de Grosseto de parte et pro parte nostra quos et quas volueritis et nominaveritis omnia et singula supradicta firmabunt et iurabunt et satisdabunt et compromictent ut superius per nos est compromissum et sub eadem pena predicto modo solvenda ad requisitionem vestram vel potestatis et consilii communis Senarum, obligamus nos in predictis omnibus omnia et singula nostra bona presentia et >et< futura iure pignoris vobis supradictis ambasciatoribus recipientibus pro comuni Senarum ut dictum est, que omnia constituimus nos nomine dicti communis Senarum et precarie possidere. Renuntiantes exceptioni non facte promissionis, compromissionis et concessionis, fori privilegii, doli et infactum, condictioni indebiti et sine causa et omni iure et legum auxilio; preterea nos supradicti tactis sacrosanctis Dei evangeliis iuramus omnia et singula suprascripta et promissa observare et actendere et obedire et contra non facere vel venire aliquo modo vel ingenio. Actum Grosseti in domo dicti domini Hermanni, presentibus domino Gerardo Grifi, Ventura Mappoli, Lupo Ugolini Lupicini, Renaldo Ildibrandini de Monterondoli, Benedito Alberti et Gratia<sup>3</sup> Bernardini de Senis ad hec vocatis et rogatis testibus, sub anno Domini millesimo CCXLVIII, inductione VI, die III exeunte mensis iunii.

Eodem anno et inductione, die kalendas iulii. Actum Grosseti in ecclesia Sancti Petri, presentibus suprascriptis testibus. Nos Mantuccius Alberti Voçi, Donus Falabusche, Ildibrandinus Bencivenne Negatelli cum consensu dicti mei patris, Micus Uguacionis, Bonacursus Coscius, Ranuccinus Bentivegne, Passamonte Plebanelli, Uguicio de Roccha, Cervonus Bentivegne, Bonensegna de Rocchastrada, Martinellus faber, Guillelmus Frederigii, Ranuccinus faber, Rolandus de Montemassi, Dietisalvus çocolarius, Bencivenne fornarius, Voçus Ponçetti, Bernardinus Iohannis Mosche, Ranuccius Caçette et Mainectus de Gello ut superius per dominum Hermannum et Gerardum Bentivegne et alios suprascriptos est compromissum et promissum et iuratum: nos compromittimus et promittimus in vos supradictos ambasciatores recipientes ut dictum est supra et tactis sacrosanctis Dei evangeliis iuramus atendere et observare et contra non venire vel facere sub dicta pena predicto modo solvenda sub obligatione omnium nostrorum bonorum, renuntiantes exceptioni omni et non facte promissionis et concessionis, fori privilegii et omni iure et legum auxilio. (SN) Ego Bonaventura auctoritate imperiali notarius filius quondam Ranuccini de Senis predictis omnibus interfui et ut supra legitur rogatus scripsi et publicavi.

---

<sup>3</sup> Segue alb espunto.